

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gebri Arabis Chimia

Geber

Lugduni Batavorum, 1668

De medicinis trium ordinum. Cap. XIX

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

tum quod in illo infusum est consumetur omnino. Deinde vero quod in eo terreitatis inventum sit, lavetur cum aceto & abjiciatur. Totiens igitur super illud opus reiteretur, quousque terreitas illius in celestinum mutetur colorem perfectissimum; quod perfectæ lavationis est signum. Ab his igitur ad medicinas est transeundum.

De medicinis trium ordinum.

CAP. XIX.

Præsuppositum primum.

Afferamus igitur imprimis sermonem universalem in medicinis cum causis suis & experiētiis manifestis. Innuimus igitur quod nisi quidem omne superfluum live per medicinam, five per præparationis modum auferatur ab imperfectis, non perficietur; scilicet ut ab illis tollatur omnis superflua sulphureitas, omnisque terreitas immunda: Ita scilicet quod de commixto non separentur in fusione post projectionem medicinæ alterantis illa. Cum hoc quidem inveneris, jam ex perfectionis differentiis unam habes.

Præsuppositum secundum.

Similiter utique, nisi & medicina illustret & alteret in colorem album aut citrinum secundum intentionem quam quaris,

ris, quæ fulgoris splendorem & amœnitate luciditatem adducat; non perficiuntur à perfectione corpora diminuta complemento totaliter.

Præsuppositum tertium.

Amplius autem nisi fusionem lunarem aut solarem determinate adducat, non est in complemento alterabile: Quoniam in judiciis non quiescit, sed de commixto separatur omnino & recedit. Hoc autem à nobis latius determinatum, in sequentibus demonstratur in causa de cineritio. Amplius autem & nisi perpetuetur medicina cum impressionis alteratione firma, non valet ipsius mutatio: quoniam non permanet, sed evanescit impressio.

Præsuppositum quartum.

Amplius autem & nisi pondera perfectionis adducat, non mutat sub complemento naturæ firmo & vero, cui non sit fraus per credulitatis errorem. Est enim pondus naturæ, unum ex perfectionis signis. Patet igitur quod cum perfectionis differentiarum quinque sint, necesse est & medicinam nostri magisterii, has scilicet adducere in projectione differentias. Per hoc igitur patet ex quibus materia nostra elicitur. Nam per ea elicitur quæ maximè corporibus adjunguntur, & amicabiliter eisdem

dem in profundo adhærent alterantia. Ideoque cum in rebus cæteris exquirentes, non invenimus inventione nostra, rem aliam magis quam argentum vivum corporum naturis amicari, per hoc opus nostrum in illo impendentes reperimus ipsum esse veram alterabilium medicinam in complemento cum alteratione vera & non modicè peculiariosa.

Præsuppositum quintum.

Restat igitur nos substantiam ipsius, & proprietatis substantiæ differentias determinatè adscribere. Et cum non invenimus ipsum sine alterationis naturæ illius administratione mutare; invenimus & similiter ipsum præparari debere necessario, cum non permisceatur in profundo absque illius præparationis modo. Et est scilicet, ut talis fiat illius substantia, quod permisceatur in profundo usque ad profundum corporis alterabilis sine separatione in æternum. Hoc autem non fit nisi subtilietur valde cum præparatione certa & determinata in capitulo sublimationis: Et non permanet ejus impressio nisi figatur: Nec illustrat nisi fulgidissima ex illo eliciatur substantia cum sui modi ingenio, & modo suæ operationis per ignem congruum. Et non præstat fusionem perfectam, nisi in illius fixatione adhibeatur cautela, cum hac

dura

dura remollire, & mollia indurare. Est tamen talis ut cum sufficientia servetur suæ humiditatis proportionatæ secundum exigentiam ejus quæ quæritur fusionis. Per hoc ergo patet quod ipsius talis præparetur & administretur præparatio, qua fulgidissima & mundissima substantia ex illo creetur. Deinde vero figatur & cautela eidem exhibeatur; ut scilicet exercitetur artifex in administratione ignis in modo suæ fixationis: quo possit ex illo deleri humiditas in tantum quod sufficiat ad fusionem perfectam complendam. Et est scilicet, ut si quæris per hanc corpora fusionis dura mollificari, in principio suæ creationis lentus adhibeatur ignis. Ignis enim lentus humiditatis est conservativus, & fusionis perfectivus. Si vero mollia indurare, ipsius componatur ignis vehemens. Talis enim ignis humiditatis est consumptivus & fusionis turbativus. Et has quidem regulas omnes in omni medicina bonæ mentis artificem necessario considerare expedit. Et multas similiter alias in ponderis mutatione considerationes adducere necesse est cum causis suis, & ordine congruo. Est igitur causa ponderis magni subtilitas substantiæ corporum, & uniformitas in essentia. Per hoc enim tantum illorum possunt densari partes, cum nihil intercidat: & partium densatio ponderis est additi etiam & illi

lius perfectio. Patet igitur quod tam corporum administrationis præparatione, quam ipsius perficientis medicinae modo per operis artificia subtilitatem perquirere necesse contingit. Quoniam quanto majoris ponderis sunt corpora transmutata, tanto & majoris sunt perfectionis, inventa investigatione per artem. Completur igitur sermo utilis de medicinis; si omnium medicinarum differentias narremus. Innumus quidem quod medicinarum triplicem differentiam esse necessario accidit. Alia est primi ordinis; alia vero secundi, alia vero tertii. Dico autem primi ordinis medicinam, omnem præparationem mineralium, quæ super diminuta à perfectione corpora projecta, alterationem imprimunt: quæ non adducit complementum sufficiens, quin contingat alteratum mutari & corrumpi cum evaporatione impressionis medicinae illius totali; sicut est omnis sublimatio dealbativa Veneris aut Martis quæ fixationem non suscipit: Et hujusmodi est omne additamentum coloris Solis & Lunæ, aut Veneris comixtorum, super furnum cimenti positum, ut ziniar & similia. Hoc enim mutat immutatione non stante, sed potius diminvente se per exhalationem. Secundi vero ordinis medicinam dicimus omnem præparationem quæ quando super diminuta à perfectione cor-
pora,

pora, projecta est, alterat in differentiam aliquam complementi, relictis differentiis aliquibus corruptionis omnino: velut est calcinatio corporum, qua omne fugitivum deletur. Et est hujus generis medicina perpetue Lunam citrinans; aut perpetue Venerem dealbans; relictis aliis in eis corruptionis differentiis. Tertii vero ordinis medicinam appello omnem preparationem; quæ quando corporibus advenit, omnem corruptionem cum projectione sua tollit, & cum omni complementi differentia perficit. Hæc autem est unica sola. Et ideo per illam excusamur à laboribus inventionis decem medicinarum secundi ordinis. Primi igitur ordinis opus minus appellatur, Secundi vero medium, Tertii vero majus. Et hæc est omnium medicinarum differentia sufficiens.

De differentiis medicinarum primi, secundi, & tertii ordinis, & primo: De medicinis primi ordinis.

CAP. XX.

EX ordinis igitur determinati promissione secuta, (Cum quidem alia sit medicina corporum, alia vero argenti vivi: Et corporum quidem alia primi ordinis; alia vero secundi; alia vero tertii: & argenti vivi consimiliter.) narremus omnium

H 2

medi-